

CAPUT III.  
De Effectu Matrimonii.

Vacat.

CAPUT IV.  
De Accessoriis Matrimonii.

SUMMARI A.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. An solus consensus liberorum tollat pœnas secundarum nuptiarum? Ratio pro affirmativa.</p> <p>2. &amp; seqq. Enervatur ista, &amp; eligitur sententia negativa. 5. Refertur sententia, defendens cessationem harum pœnarum, quando vidua</p> | <p>cum consensu prioris mariti transit ad secunda vota. 6. &amp; seqq. Defenditur sententia contraria. 9. &amp; seqq. Cessant ejusmodi pœna juxta aliquos ex assensu Principis. 11. &amp; seqq. Opinio aliorum negantium statuitur.</p> |
|--|---|

QUÆSTIO I.

*An solus liberorum consensus tollat pœnas secundarum Nuptiarum?*

- R**atio dubitandi est: quia pœnæ secundarum Nuptiarum, quatenus concernunt favorem liberorum, hœc ipsò cessare videntur, quòd liberi, in secundas nuptias consentientes, censentur remittere injuriam, aliàs ipsis per tales nuptias inferendam. Sed quia liberi possunt in binubium, tanquam rem viduis hodie licitam, consentire, absque eo, quòd renuntient juri suo, per Leges publicas indulto; ac præterea renuntiationes sunt stricti juris, & absque consensu expresso vix admittendæ per l. sed et si 4. §. 3. ff. de quis caution. in Judio &c. veriorum censo opinionem negativam, quam contra alios cum Fachineo lib. 3. contr. cap. 65. & Perezio ad tit. Cod. de Secund. Nupt. num. 20. defendunt Clariss. D. Joannes Philippus Morass in Binub. fat. cap. 6. sub num. 3. & Huberus ad tit. ff. de Secund. Nupt. num. 11.

QUÆSTIO II.

*An cessent pœnæ binubentium, quando vidua de consensu prioris mariti transit ad secunda vota?*

- V**olunt id Gailius lib. 2. obs. 98. num. 18. Klockius & Arnoldus Rath apud cit. D. Morass. num. 6. putantes, pœnas illas respicere favorem mariti, cui non infertur præjudicium, quando ipsemet in secunda vota per testamentum aut actum alium consentit. Verùm idem D. Morass, uti & Huberus ad cit. tit. ff. de Secund. Nupt. num. 10. cum cit. Fachineo & Perezio jure merito contradicunt: siquidem si, uti suppono, loquamur de pœnis, in favorem liberorum sancitis, non agitur de præjudicio defuncti, quod ipse remittere valet, sed de jure, liberis per Leges publicas quæsito, cui pater derogare, & ne Leges in testamento suo locum habeant, juxta l. nemo § 5. ff. de Legat. 1. efficere nequit. Et licet aliàs pater injuriam quoque, liberis irrogatam, condonare non prohibeatur; prohibetur tamen, ubi Lex resistit, & soluta per mortem omnimodâ patris potestate, injuria non in patrem sed solos liberos refunditur. Nihil opus est, ait Huberus, dicimus patrem suos liberos beneficiis Legum, quod ipse non dixit, voluisse privatos. Ipsum verò parentem binubium non posse liberis suis, etsi hæredibus, vetare, ne Legibus illis utantur, extra controversiam est.

QUÆSTIO III.

*An, si nuptiæ secunda ex consensu Principis ineantur, sublata sint pœnæ?*

- M**Ynsinger apud D. Morass d. l. num. 15. & Grönwegen apud Huberum d. l. numer. 10. affirmant ob textum in l. slet 10. in pr. ff. de his, qui nos infam. Sed, ut loquitur idem Huberus, minùs justo argumento: nam à pœnis nuptiarum intra annum luctûs, de quibus d. l. concepta est, ad amissionem beneficiorum, quæ dantur liberis prioris thori, non valet consequentia. Nec aded Princeps, concedendò secundas nuptias, quidquam præter id, quod in odium illarum veramque pœnam, non quod in aliorum favorem sit constitutum, abolere videtur.

GA.

CAPUT V.

*De Matrimonii dissolutione, seu Divortio.*

Vacat.

SUPPLEMENTUM

AD

TRACTATUM III.

DE

IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CAPUT I.

*De Impedimentis in genere; & Impedientibus in specie.*

SUMMARI A.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. &amp; seqq. Hæretici nec de Jure, nec de consuetudine sunt liberi ab impedimentis matrimonii.</p> <p>3. &amp; seqq. Rationes adversantium. 5. &amp; seqq. Prestigantur. 8. Agitur de dispensatione in impedimentis. 9. Subjicitur aliqua formula. 10. Quis intelligatur nomine Vicarii? 11. &amp; seqq. Exprimenda nomina &amp; cognomina Orato-</p> | <p>rum. 13. Uti &amp; Diœcesis. 14. Item loci originis. 15. Declaratur angustialoci. 16. Disparitas conditionis. 17. Impedimentum cognationis. 18. Et raptus. 19. &amp; seqq. Exponitur obligatio executoris. 21. Formula dispensationis pro foro interno. 22. De illius explicatione remissivè.</p> |
|--|--|

QUÆSTIO I.

*Utrum hæretici ligentur Impedimentis Matrimonii, Jure Ecclesiastico tantum introductis?*

- N**emo ferè ex Catholicis hæsitabit, aut minimum quoque scrupulum habebit, quin hæretici per se ligentur omnibus Matrimonii Impedimentis, quæ ab Ecclesia sunt introducta: utpote cum, non attentâ ipsorum malitiâ & pertinaciâ, hœc ipsò, quòd jamnam Ecclesiæ per baptismum fuerint ingressi, ejus Legibus obstringantur. Ideoque cardo quæstionis in eo versatur, utrum de facto, & spectatâ hodiernâ Germaniæ facie, ab ejusmodi Impedimentis non censentur esse liberi? Quo in puncto ex principiis Juris in hoc cap. num. 24. existimavi, non ceteri liberos.
- I**n contrarium opponitur I. Ecclesiam non urgere suas Leges circa impedimenta matrimonii adversus hæreticos, utpote cum exinde plus damni quam utilitatis resultaret: eò quòd ipsorum matrimonia essent meri concubinatus & fornicationes, ac proles, exinde susceptæ, forent illegitimæ, & sic à conversione absterrentur. II. hæreticos communiter ignorare Leges Ecclesiasticas, circa matrimonium latas; adeoque sicuti ignorantes aliàs excusantur à Legis obligatione, ita & illos excusari.
- Verùm ad I. Resp. Ecclesiam quidem non urgere suas Leges, quando prudenter perspiciat, & prospicit, suas minas aut fulmina non adeò curatum iri; quando autem advertit, ex facta animadversione secururos bonos effectus, & urgere Legum observantiam, & matrimonia, perperam contracta, irritare, prout ostensum in d. cap. num. 27. & seqq. Ad II. Resp. per ignorantiam Legis non tolli Legem, sed eousque, donec illa duraverit, ejus obligationem per accidens suspendi; quin imò, si Leges sint irritantes, & non pœnales, quales sunt illæ, per quas impedimenta matrimonii dirimentia statuuntur, in ea sententia, quam stabilivi in lib. 1. tit. 1. à numer. 243. etiam ignorantes eatenus teneri, quatenus actus, contra Leges irritantes positi, nulli & irriti censentur.

Ee 2

QUÆ

## QUÆSTIO II.

Quomodo dispensationes in impedimentis matrimonii concedi soleant pro foro externo?

**Q**uis in impedimentis matrimonii dispensare possit, & quibus ex causis dispensari soleat, nec non ad quem dispensationes dirigantur pro foro externo, jam expositum fuit in hoc cap. à num. 34. appositò in num. 75. aliquò schemate, juxta quod supplicatio pro impetranda dispensatione formari debeat. Juvat modò exemplum quoddam literarum dispensationis Apostolicæ ex Pirrho Corrado in Praxi dispensat. Apostol. lib. 7. cap. 4. num. 8. producere sequentis tenoris. Urbanus Episcopus Servus Servorum DEI. Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Archi-Episcopi Neapolitan. in Spiritualibus Generali. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani N. laici, & dilectæ in Christo filia Catharina N. mulieris Neapolitan. diocesis ex loco de Rosina oratorum petitionis series continebat. Quòd cum dicta Catharina in d. loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paræ conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat. Cupiunt Stephanus & Catharina præfati invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio & quarto à communi stirpe provenientes consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimpleri non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem Stephanus & Catharina, asserentes se ex dicto loco existere, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in præmissis de opportuna dispensationis gratia providere de benignitate Sedis Apostolicæ dignemur. Nos igitur eosdem Stephanum & Catharinam, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à Fure vel ab homine quavis occasione vel causa laici, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, de qua in his specialibus in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolicam scripta mandamus, quatenus deposita omni spe cujuscunque muneris aut præmii, etiam sponte oblata, à quo te omnino abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter informes; & si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem Stephano & Catharina (dummodo illa per hoc raptam non fuerit) quòd impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publicè servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in ea postmodum remanere liberè & licitè valeant, auctoritate nostra dispenses. Distantiam vero tertii gradus præfati eis non obstare, declaras, prolem suscipiendam exinde legitimam nunti-

tiando. Volumus autem, quòd si sprete monitione nostra hujusmodi aliquid muneris aut præmii occasione dicta dispensationis exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis lata sententia penam incurras. Dat. Roma &c.

Circa hanc dispensationis formulam observandum I. nomine Vicarii Episcopi seu Archi-Episcopi non intelligi Capitularem Vicarium. Sede Vacante constitutum, utpote habentem Jurisdictionem non ab Episcopo, sed à Capitulo, veluti pro indubitato tradit Pirrhus Corrad. d. lib. 7. cap. 4. num. 11. aded ut etiam Vicarius Generalis, cui vivente Episcopo dispensatio erat commissa, non possit eam exequi Sede Vacante, licet à Capitulo in suum Vicarium fuisset assumptus, prout habet stylus Curia, de quo testatur Idem ibid.

II. in literis dispensationis exprimenda esse nomina & cognomina oratorum, ad evitandam dubietatem & æquivocationem: nec enim rescriptum gratiæ, datum uni, prodest alteri, cujus nomen & cognomen non est expressum; & quidquid aliàs de errore in rescriptis doceri solet, de stylo ejusdem Curia juxta cit. Pirrh. Corrad. cap. 5. num. 5. & 6. error non tantum in nomine & cognomine, sed etiam in una syllaba vel litera viciat literas dispensationis matrimonialis, nisi ab officialibus deputatis corrigatur.

III. necessariò exprimendam esse diocesis; & si oratores fuerint ex diversa diocesi, utramque nominandam, licet dispensationis literæ ad Ordinarium aut Vicarium diocesis oratrici ex stylo & praxi datariæ dirigantur. Idem Author num. 24. & seqq.

IV. pariter esse necessariam expressionem loci originis, quamvis interea domicilium habitationis fuerit mutatum: quia dispensationum executiones ex sæpe memorato stylo committuntur Ordinariis loci originis, nisi ad instantiam partium Ordinario domicilii habitationis speciatim committantur. Corrad. d. cap. 5. à num. 30.

V. satis verificari preces oratorum, propter loci angustiam dispensationem impetrantium, quantumvis in alio loco, etiam vicino patriæ, oratrix virum sibi æqualem invenire possit: alioquin enim opponerentur verba limitantia & restringentia v. g. dummodo in alio loco circum vicino sua patria & insigni virum paræ conditionis invenire nequeat; quibus omissis, intentio dispensantis videtur fuisse absoluta. Idem ibid. num. 34. & seqq.

VI. disparitatem conditionis posse considerari vel ab ætate, vel à divitiis, vel à nobilitate, uti videre est apud cit. Corrad. à num. 44. qua tamen in materia Judicis delegati arbitrio procul dubio multum erit tribuendum.

VII.

**17** VII. Casu quò inter oratores intercederet impedimentum affinitatis, iique dicerent, se esse consanguineos, non posse literas, in quibus fit mentio de sola affinitate, executioni mandari, priusquam corrigantur: quia, non attentò, quòd majus fortè sit impedimentum consanguinitatis quàm affinitatis, non licet in literis dispensatoriis ab una causa ad aliam facere argumentum nedum à paritate sed etiam majoritate rationis. Corrad. d. l. num. 71. & seqq.

**18** VIII. in Reg. 49. Cancellariæ disponi, ut in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula, si mulier raptam non fuerit; si tamen omiſsa fuerit hæc clausula, illam nihilominus pro apposita de stylo curia censeri, tradit d. Corrad. cap. 6. num. 53. quia ex doctrina Abbatis in cap. quod translationem num. 3. de Offic. Jud. deleg. clausulæ, apponi solitæ, suppletur, quamvis non exprimatur.

**19** IX. Vicarium Generalem seu Officiale Archi-Episcopi vel Episcopi, ad quem literæ dispensatoriæ fuerunt directæ, esse obligatum, ad diligentem & juridicam informationem super impedimento, quò oratores detinentur, capiendam, de qua idem Corrad. d. cap. 6. à num. 19. habita autem sufficienti informatione, & verificatis omnibus, quæ in literis contenta sunt, hæc vel simili formula, quam exhibet d. Author cap. 7. numero 87. dispensationem concipi. Alexander Lucianus N. Archi-Episcopi Neapolitani Vicarius in Spiritualibus Generalis ad infra scripta per Sanctissimum D. N. D. Urbanum Papam octavum, Judex & Executor deputatus. Universis & singulis, presentes literas inspecturis, notum facimus, & attestamus, qualiter nuper coram nobis pro

parte Stephani N. & Catharina N. Neapolit. diocesis exhibita, producta, & presentata fuerunt litera prædicti Sanctissimi D. N. Papa plambeo pendente sigillo ad cordulam fili canabis, more Romana Curia expedita, sana, integræ, non vitata, non cancellata, non abrassa, nec in aliqua ipsarum parte suspecta, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes, quas nos cum omni, quæ decuit, reverentia recepimus, tenoris sequentis, videlicet, Urbanus &c. &c. Post quarum quidem præsentiarum literarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem, fuimus pro parte dicti Stephani & Catharina debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem earundem literarum procedere deberemus: Nos autem, attentà illarum formâ, mandavimus de expositis in eisdem capi diligentiam & summariam informationem, per quam reperimus, prædictos Stephanum & Catharinam, tertio & quarto à communi stirpe provenientes consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, dictamque Catharinam propter hoc raptam non fuisse, omniaque in eisdem literis Apostolicis contenta fuisse, & esse vera, ac veritate fulciri. Propterea cum prædictis Stephano & Catharina, ut matrimonium inter se publicè, servata formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere licitè possint, Apostolicâ auctoritate nobis commissa, & quâ fungimur in hac parte, dispensandum duximus, prout præsentium tenore dispensamus: impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus. Distantiam vero tertii gradus prædictis non obstare, declarantes, prolemque exinde suscipiendam legitimam nuntiandò. In quorum fidem presentes, manu nostra signatas, & per infra scriptum Notarium Curia Archi-Episcopalis subscriptas fieri jussimus. Dat. Neapoli die &c.

## QUÆSTIO III.

Quomodo dispensationes in impedimentis matrimonii concedi soleant pro foro interno?

**21** Dixi aliqua hoc cap. num. 70. & seq. In quorum complementum formulam quandam dispensationis, prout à S. Penitentiaria impertiri consuevit, subijcio. Bernardus Maria miseratione Divina Tituli N. S. R. E. Cardinalis, Discreti Viro Confessori, Magistro in Theologia vel Decretorum Doctore ex apprehatis ab Ordinario per latorem presentium ad infra scripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Ex parte viri latore presentium Nobis oblata petitio continebat, quòd ipse aliàs matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem antè carnaliter cognoverat. Cum autem, sicut eadem petitio subijungebat, dictus lasor ob impedimentum ex præmissis proveniens, quòd occultum est, in dicto matrimonio manere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad evitanda scandala, qua si divorcium fieret inter se & dictam mulierem, exoriretur, ac pro sua conscientia quiete cupit à præmissis

se, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque de super dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignemur. Nos igitur, qui Penitentiaria Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica specialiter Nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem audità prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublatà occasione amplius peccandi, cum dicta mulieris matre, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus hujusmodi absolvas hæc vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ ei pro tam enormis libidinis excessu gravi penitentia salvari & confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statutandam, & aliis injunctis, qua de Fure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem & dictam mulierem fieri

Ec 3

non

non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque canonicum non obstat impedimentum, cum eadem latore, ut, dicta muliere de nullitate prioris matrimonii certiorata, sed ita caute, ut lateris delictum nunquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere & uterque inter se de novo, secreta ad evitanda scandala, promissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeat, misericorditer dispenset. Prolem suscipiam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientie & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter,

nec ullò aliò modo: ita quod hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judicario nullatenus suffragetur, nullis super his testibus adhibitis, seu literis datis, seu processibus confectis, sed presentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis lata sententia lacerare teneris, ita ut nullum illarum exemplar exeat, neque eas lateri restituas. Quodsi restitueris, nihil eis presentes litera suffragentur. Datum Roma &c.

Singulas relatæ formulæ clausulas probè examinat, & declarat P. Wiestner ad tit. de Matrimon. contr. contra interd. Eccles. à numer. 154.

## CAPUT II.

## De Impedimento dirimente Ætatis, Impotentie, Erroris, &amp; Ligaminis.

## SUMMARI A.

1. Super ætate solet dispensari, dummodo adsit usus rationis. 2. Valet dispensatio in alio impedimento, etiam si retineatur ætas. 3. Exponitur clausula: quod malitia suppleat ætatem.

4. An licitus sit usus matrimonii, cù impotentia perpetua supervenit? 5. Conceditur, ubi impotentia tantum est ad generandum. 6. At, si fuerit ad coëundum; sub limitatione indulgetur.

## QUÆSTIO I.

## An &amp; qualiter dispensetur in matrimonio ob defectum ætatis?

1. Summo Pontifici facultatem competere, in matrimonio ob ætatem dispensandi, dummodo adsit usus rationis, certum evadit ex hoc cap. n. 53. extatque apud Pirrhūm Corrad in Praxi dispensat. Apostol. lib. 4. cap. 3. numer. 18. copia dispensationis, à Gregorio XV. in favorem Ducis Fianæ & Principissæ Venusii anno 1621. concessæ, è quibus ille in undecimo, hæc in decimo ætatis anno erant constituti.

2. Quodsi contingat, ut, qui ætate minores sunt, aliò insuper impedimento v. g. consanguinitatis aut affinitatis laborent, poterit super illo impedimento peti & concedi dispensatio, etiam si taceatur ætas minor: cùm

dispensatio non petatur super ætate, & sufficiat, si oratores postmodum contrahant, quando ad legitimam ætatem pervenerunt. Corrad. d. l. sub num. 5. ubi etiam subdit dispensationis formulam, huc quadrantem


Cùm etiam eveniat, ut in literis dispensationis super defectu ætatis reperitur clausula, quod malitia suppleat ætatem, executor literarum explorare debet primò: an oratrix v. g. velit nubere, & cum quo; secundò: an sciat, quid sit sustinere onera matrimonii; tertio: an matrimonium contrahat ex sua voluntate, vel potius ex vi aut metu; quarto: an ipsa se noscat aptam ad matrimonium & carnalem copulam. Corrad. d. l. n. 14.

## QUÆSTIO II.

## An licitus sit usus matrimonii, cui impotentia perpetua supervenit?

4. Movet hanc quæstionem P. Wiestner ad tit. de Frigid. & malefic. num. 22. & seq. itaque cum distinctione resolvit. Vel est impotentia tantum ad generandum; vel etiam ad coëundum. Si primum; indubitatum est, usum matrimonii esse licitum: quippe cùm impotentia ad generandum, tamen matrimonium antecedit, illud non reddat in-

validum; consequenter ejus usum nullo tempore impediatur. Si secundum; usus matrimonii tunc saltem juxta Sanchezium & Palaum erit licitus, quando impotentia, v. g. ex castratione proveniens non impedit, quò minus semen quoad aliquam saltem partem in vale debito recipiatur.



CA.



## CAPUT III.

## De Impedimento Cognationis.

Satisfactum credo SS. Canonum amatoribus in explanatione hujus Capituli, in quo omnis generis cognationes contraxi. Et quia dispensationes vix in alio quàm cognationis impedimento frequentius petuntur, apprimè servient, quæ ad rem præsentem concessit Pirrhus Corrad. in Praxi dispensat. Apostol. lib. 7. cap. 2. per tot. uti & cap. 3. ubi agit de praxi causarum dispensationum cum copula vel sine illa ob infamiam.

## CAPUT IV.

## De Impedimento Criminis.

## SUMMARI A.

1. & seqq. An impedimentum criminis ab ignorantibus incurritur? Rationes dubitandi. 7. & seqq. Solvuntur, & una stabilitur sententia affirmativa. 11. & seqq. In hoc crimine non dispensatur pro utroque foro. 14. Licet à S.

Pœnitentiaria dispensetur pro foro interno. 15. Metus gravis & injustus invalida etiam reddit sponsalia. 16. Adducitur discursus in favorem sententiæ contrariæ. 17. & seqq. Latius examinatur, & diluitur.

## QUÆSTIO I.

## Utrum impedimentum criminis ab ignorantibus contrahatur?

Conclusioni negativæ in hoc cap. num. 31. meum calculum adjeci; adversus quam non unum duntaxat argumentum opponitur. Et quidem I. quòd impedimentum criminis sit principaliter statutum in pœnam, ut conjuges magis ab adulteris & conjugicidiis absterreantur; sicut nullitas provisionis beneficiorum simoniacæ & inhabilitas ad beneficium, simoniacè obtentum; uti & excommunicatio in violatores immunitatis Ecclesiasticæ statuta sunt in pœnam, ut homines ab ejusmodi delictis deterreantur. II. quòd alias delicta inæqualia punirentur æquali pœnâ, dum gravius peccat, qui agit contra Legem, sciens non tantum ejus prohibitionem, sed etiam annexam pœnam, quàm qui pœnam nescit. III. quòd excuset ignorantia facti ab impedimento criminis, veluti si mulier peccet cum viro sub promissione matrimonii, quem nescit esse uxorem; consequenter etiam excuset ignorantia Juris, quâ qui laborat, tantum materialiter peccat contra Legem pœnalem. IV. quòd maritus non amittat jus petendi debitum, quando peccat cum uxoris consanguinea, & ignorat, amissionem juris petendi in simile delictum fuisse constitutam. V. quòd ignorantia censuræ, delicto annexæ, impediatur, ne illa incurritur; sicque & ignorantia impedimenti criminis, quod instat censuræ videtur esse pœna medicinalis, intenta à Jure ad præcavenda adulteria & conjugicidia. VI. quòd pariter ignorantia irregularitatis, ortæ ex delicto v. g. homicidio vel mutilatione, licet magis rationem

inhabilitatis quàm pœnæ habeat, ab incurfu faciat immunem.

Sed quia pleraque hæc argumenta nituntur erroneè supposito, quòd impedimentum criminis sit principaliter statutum in pœnam; cùm tamen in nostra sententia supponatur principaliter fuisse introductum in favorem ipsius matrimonii, ut nempe omnis perfidia procul arceatur, amorque & fides conjugalis in sua puritate & securitate confirmetur: hinc suapte naturâ corruunt, subque robore destituuntur; signanter primum, secundum, & quintum. Tertium vel idèd non strin- git, quòd juxta cit. hoc cap. num. 4. requiratur adulterium formale, quale non est, ubi concurrat ignorantia facti: est autem & manet formale, etiam si concurrat ignorantia Juris, dirimentis matrimonium inter personas, adulterium cum promissione matrimonii admittentes. Quartum pariter apud nos im- belle est, ex quo in cap. 3. num. 187. & seqq. defendimus, conjugem, qui cum consanguineis alterius conjugis intra secundum gradum carnaliter commiscetur, privari jure petendi debitum, esto hanc privationem, à Jure constitutam, ignoret. Sextum denique probat incertum per incertum, dum planè dubium est, an non sit irregularis censendus, qui ignorat, homicidio v. g. aut mutilationi esse annexam irregularitatem; nec credo, aliquem ad SS. Ordines fore admittendum, de quo constat, quòd aliquem occiderit aut mutilaverit, licet juratò assereret, se nullam de ejusmodi irregularitate unquam habuisse notitiam.

QUÆ.